

promat, cum interim ignoret veras & proprias qualitates eorundem simplicium, quibus morbos oppugnet, an vero alter, qui eadem noscat, sed non vsurpet, nisi cum experimenti ratio ea approbet, seligat ex omni numero pauca, probata, infallibilia, misceat cū iudicio, non vt videantur multa, sed apta, & effectus sequens Rationem præuiam non eludat, qui occultas proprietates seu específicas virtutes cuiusq; simplicis habeat cognititas, & in quoque morbo delectum eiusmodi Triariorum Remediorum instituat, quibus magis fidendum, quam tumultuariæ congeriei innumerorum? Habemus enim nunc Oceanum medicamentorum, vt magis cogitandum sit medico de delectu, quam congestu: Nam copia sola remediorum non vincit morbum, vt nec militum hostem, sed qualitas efficax, ordo & modus iis vtendi, rei & naturæ conueniens, dexteritas & fœlicitas medici in tempore & loco singula adhibentis, etiamsi sint numero pauciora.

Ex historiis Leonidæ, Spartanorum regis animositas & peritia inclaruit, qui manu